



Per.
Lat
019

Moderator ephemeridis compluribus sociis adiuvantibus STEPHANUS SZÉKELY DR. *Budapestini, Ullői-út 71.*, ad quem epistolae et manuscripta mittantur.

Administrator ephemeridis ADALBERTUS DANCZER *Budapestini, VIII., József-körút 48.*, ad quem
□□□ pecuniae quaecunque dirigantur. □□□

Prodit Budapestini Calendis et Idibus cuiusque mensis, excepto Julio et Augusto. — Pretium annuae
□ □ □ subscriptionis: 4 coronae, semestris 2 coronae, extra Hungariam annuae 5 coronae. □ □ □

Guilielmus¹ II. in Hungaria.

Rex noster maximam partem anni in altero regno² suo agit, ob quam rem hospites quoque, summo loco natos saepissime in huius regni sede³ excipit.

Omnium sociorum amicorumque populi nostri unus est Guilielmus II., qui adversus impedimenta⁴ in patriam nostram venire solet et quotiescunque venit, toties persuadet sibi⁵ se magis magisque a nobis adamatum esse.

Inter virtutes imperatoris admirationem excitat nostram imprimis liberum arbitrium,⁶ quo in sermonibus factisque suis utitur.

Non resonat⁷ ea, quae a consiliariis excogitantur, sed suas ipsius cogitationes pronuntiat. Impigrā industriā imperatoris Germania ex opulenta opulentissima facta est

et communitas⁸ Germanorum comprobationem⁹ excitat orbis terrarum.

Hoc autem non solum industriae Guilielmi II. debetur, sed imprimis ingenio, quod imperatorem inter Germanos suos Germanum verum esse iubet...



Imperator inter rusticos.

Cum grato animo repetimus nunc, ubi venandi causā ad nos venit, tempora superiora, cum comitante divo¹⁰ Rudolpho nostro, et postea regis hospes caput⁸ regni nostri visitavit. Gratus animus civium nostrorum ab oblivione¹¹ vindicat¹² ea, quae augustissimo imperatori Germanorum debemus.

¹ Vilmos ² birodalom ³ főváros ⁴ akadály ⁵ meggyőződik ⁶ önálló vélemény ⁷ visszhangoztat ⁸ közszellem ⁹ helyeslés ¹⁰ boldogult ¹¹ feledés ¹² megment.



De Pompeis. II.

Maxima pars incolarum urbis sine dubio liberari potuit; e reliquiis¹ enim humanis numerus eorum, qui in urbe obruti sunt, ad duo milia efficitur.² Multi etiam extra muros conflagratione³ Vesuvii interiisse existimantur.

Qui tempestatem in hypogeis⁴ devitare⁵ studebant, certe perierunt, quia exitus cineribus lapidibusque decidentibus



occludebantur; alii, qui in aedium partibus superioribus se complicabant,⁶ imbre igneo intermittente⁷ salutem petiisse videntur.

Maxima pars frustra; postquam enim per pumices⁸ penetrarunt,⁹ defessi cinere circumfundebantur. In hoc cinere, imbris mixto, de corpore effigies imprimebatur.¹⁰

Per annos corpora paene tota ad nihilum venerunt,¹¹ sed effigies expressa in cinere remansit.

Cum in eruenda stratura cineris¹² foramen¹³ apparet, gypsum liquidum infunditur,


qua re formae hominum animaliumque conservantur. Hae quidem formae non eandem praestant subtilitatem,¹⁴ quam statuae, a sculptore¹⁵ factae, tamen documenta proxima¹⁶ illius tempestatem horrendae, qua ante tot saecula urbs debebatur, spectantium maxime intersunt.¹⁷



Quot incolas Pompei habuerint, difficile ad calculos revocari¹⁸ potest. Sunt, qui viginti, sunt qui quinquaginta milia incolarum fuisse affirmant.

Temporibus, quae calamitatem sequebantur, multi venerunt, qui inter ruinas opes quaerere vel lapides exciderent.¹⁹ Sed fugā temporum Pompei oblivione²⁰ obruebantur ita, ut anno 1582, cum Fontana in ruinas incideret,²¹ nomen quoque in dubio erat. Ex hoc tempore per dilationes²² diversas in urbe eruenda perseveratur.²³

1 maradvány 2 számít 3 kitörés 4 pince 5 kikerül
6 meghúzza magát 7 enged 8 horzsakő 9 keresztülhatal 10 lenyomat 11 ad nihilum venit
12 eltűnik 13 hamuréteget ás 14 lyuk 15 finomság
16 szobrász 17 közvetlen 18 érdekel 19 kiszámít
20 fejt 21 feledés 22 rábukkan 23 megszakításokkal
23 a város kiásása folyamatban van.



De iudice iusto.

Turcus quidam reliquit tribus filiis undeviginti camelos.¹ Testamento² vetuit animalia ante divisionem hereditatis vñire,³ simul filium maximum partem dimidiam,⁴ minorem autem partem quartam, minimum partem quintam accipere iussit.

Heredes⁵ consentire nequiverant, itaque iudici rem discernendam⁶ proposuerunt.

Iudex iustus: «Ad rem hereditariam dispensandam⁶ — inquit — camelum meum

adduci iussi. Animal iam vetus est, inutile, cui ob servitia antiqua victum⁷ praebeo. Hunc camelum hereditati addo, ita ut nunc viginti camelos videatis. Filius maximus sumat sibi partem dimidiam!»

Maximus decem camelos sibi sumpsit.

«Minor sumat partem quartam».

Minor camelos quinque sumpsit.

«Minimus partem quintam sumat».

Minimus quattuor camelos sumpsit.

«Nunc — inquit iudex — camelum meum inutilem, quem nemo vestrum sumpsit, recipio. Lis⁸ vestra mihi composita⁹ esse videtur.»

Fr. Lange.

1 teve 2 végrendelet 3 vñire, vñire = eladatni (cselekvő alakú, szenvedő értelmű, mint pl. fio, vapulo) 4 fele 5 örökös 6 döntésre 7 élelem 8 per 9 elintéz.



LECTARIUS MINIMIS.

Sententiae.

Pectore¹ sincerus² sis semper et gutture³ verus,
Sic quivis credit, quod tua lingua dedit.

*

Sanguis quando calet,⁴ multa patrare⁵ valet.⁶

*

Quo puer assuescit,⁷ senior dimittere⁸ nescit.

*

Non semper fluctus⁹ agitantur¹⁰ in aequore;¹¹
luctus,¹²

Menti qui insedit,¹³ gaudia saepe dedit.

*

Dupliciter¹⁴ miser es, qui felix ante fuisti;
Dupliciter felix, qui fuit ante miser.

*

Nemo adeo ferus est, ut non mitescere¹⁵ possit,
Si modo culturae¹⁶ patientem praebeat
aurem.

*

Ne cures¹⁷ ea, quae stulte miraris et optas;
Discere et audire et meliori credere non
vis.¹⁸

*

Exemplo virtus bene discitur atque docetur;
Qui dare mi¹⁹ suadet²⁰ pauperibus, sua det.

*

Venturam²¹ melius praesagit²² navita mortem,
Vulneribus²³ didicit miles habere metum.

*

Scindentur²⁴ vestes, gemmae²⁵ frangentur
et aurum.

Carmina,²⁶ quam tribuunt, fama perennis
erit.

1 kebel 2 őszinte 3 torok, «száj» 4 hevül 5 meg-
tesz 6 képes 7 megszokik 8 abbahagy 9 hab
10 hányódik 11 tenger 12 gyász 13 ráül, ránehezül
14 kétszeresen 15 szelidül 16 műveltségnek 17 bán,
törődik vele 18 volo 19 = mihi 20 tanácsol 21 ven-
turam t. i. mortem 22 jósol 23 mitől? 24 elszakad-
nak 25 gyöngy 26 fama, quam carmina tribuunt
(juttat), perennis (örökkévaló) erit.

Reditus¹ Ulyssis. I.

Iam pridem² nihil de Ulyxe audivimus.
Nunc renovamus³ memoriam Graeci calli-
dissimi.⁴

Postquam Troia capta est, omnes Graeci
in patriam redire voluerunt. Inter hos erat
Ulysses. Sed hic multa mala passus est⁵
diuque erravit, tum denique in patriam per-
venit. In diurno⁶ errore⁷ multas urbes
vidit et multorum hominum mores⁸ cogno-
vit.⁹ Hunc errorem Homerus praeclaro car-
mine¹⁰ descripsit. Si attenti¹¹ eritis, etiam
hae res iucundissimae¹² vobis narrabuntur.

Statim¹³ primo anno, postquam Ulysses
Troiam reliquit et navem conscendit,¹⁴ in
Siciliam venit. Duodecim comites¹⁵ eum
sequebantur,¹⁶ praeterea cibos et magnum
utrem,¹⁷ vino impletum secum ferebat. In-
sula Sicilia autem illo tempore non a ho-
minibus habitabatur,¹⁸ sed a feris giganti-
bus,¹⁹ qui tantum unum oculum habebant.
Hi gigantes nominabantur Cyclopes.

Ulysses cum comitibus ad speluncam²⁰
Polyphemi venit. Hic erat ferocissimus²¹ om-
nium Cyclopum. Tum forte non erat in
spelunca sua, sed gregem²² suum in monti-
bus pascebat,²³ ut solebat.²⁴ Ulysses et duo-
decim comites intraverunt in speluncam,
in qua lac,²⁵ butyrum²⁶ et caseos²⁷ invene-
runt. Postquam diis sacrificaverunt,²⁸ ali-
quot²⁹ caseos ederunt.

Interim e montibus Polyphemus redierat
cum grege suo. Tulit secum ligna,³⁰ quae
ceciderat,³¹ et oves³² suas et capras³³ in
speluncam egit, ut eas mulgeret.³⁴ Deinde
lapidem³⁵ maximum et gravissimum ante
ianuam³⁶ speluncae posuit. Cum id fecis-
set, oves et capras mulgere coepit.³⁷ Deinde

1 visszatérés 2 régen 3 megújít 4 ravasz 5 szen-
vedett 6 hosszas 7 bolyongás 8 szokás 9 megismer
10 költemény 11 figyelmes 12 érdekes 13 mindjárt
14 megszáll, rászáll 15 kísérő 16 követni 17 tömlő
18 lakik 19 gigas (-nt) óriás 20 barlang 21 vad
22 grex nyáj 23 legeltet 24 szokott 25 tej 26 vaj
27 sajt 28 áldoz 29 néhány 30 lignum fa 31 caedit
vág 32 juh 33 kecske 34 fejni 35 kő 36 ajtó 37 kezd

lignis, quae apportaverat, ignem fecit. Hoc igne subito tota spelunca illustrata³⁸ est, quae antea obscura³⁹ fuerat. Itaque Polyphemus tum demum⁴⁰ Ulysses et comites eius conspexit.⁴¹

³⁸ megvilágít ³⁹ sötét ⁴⁰ végre ⁴¹ meglát.

De notis secretioribus.¹

De Augusto imperatore apud Suetonium, rerum scriptorem² haec leguntur: «Quoties³ per notas⁴ scribit, *B* pro *A*, *C* pro *B* ac deinceps⁵ eadem ratione⁶ sequentes litteras posuit, pro *X* autem duplex *A*». Velut: *gftulob be nf = festina ad me*.

Notae secretiores hodie quoque vel punctae, lineae etc., vel usitatae⁷ litterae nostrae, in certum ordinem digestae,⁸ esse solent. Ita fit, ut pro littera iusta⁹ littera antecedens¹⁰ vel insequens¹¹ ponatur.

Exempli causa afferuntur hae litterae: *cbpqfiv va hb obh dovsbh qxf qovabob slql*, quarum significationem explicare¹⁰ difficillimum videtur. Neque tamen difficile erit, si animum attendimus.

Imprimis vocales scrutamur.¹² Ad hunc finem verba, quae ex solis¹³ duabus litteris constant, describuntur; sic: *va hb*. Quia littera *b* in quinque vocabulis invenitur, proximum vero¹⁴ est litterā *b* vocalem, eamque creberrime currentem,¹⁵ *e* significari; ergo illud *hb* significare potest: *de, me, ne, re, se, te*. Unde videmus litteram *h* significare *d, m, n, r, s* vel *t*.

Non diu cruciari¹⁶ debemus, quin coniecturā¹⁷ quadam callidā¹⁸ quattuor vocabulorum *va hb obh dovsbh* significationem singularum litterarum consequamur.¹⁹ Ergo

pro { a b c d e f g h i l . . .
v x z a b c d e f g . . .

Omnia furtiva¹ scripta, ubi pro eadem litterā notā eadem adhibetur,²⁰ dissolvi possunt. Hic propono vobis notas secretas, quae dissolvi non possint. Ad hanc rem litterae alia²¹ supra aliam ordine⁶ describuntur: *Festina ad me, rem gravem tibi tradere volo*. Quae sententia ita describitur his notis secretis: *Srbxldn lu nr, cnn clql zftuarp ipib*.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	l	m
z	x	v	u	t	s	r	q	p	o	n
z	a	b	c	d	e	f	g	h	i	l
x	v	u	t	s	r	q	p	o	n	m
x	z	a	b	c	d	e	f	g	h	i
v	u	t	s	r	q	p	o	n	m	l
v	x	z	a	b	c	d	e	f	g	h
u	t	s	r	q	p	o	n	m	l	i
a	c	e	g	i	m	o	q	s	u	x
b	d	f	h	l	n	p	r	t	z	v
a	g	i	b	p	c	o	d	s	e	z
f	m	l	h	q	x	v	n	u	r	t
m	l	i	h	g	f	e	d	c	b	a
x	z	t	u	v	r	s	p	q	o	n
m	n	o	p	q	r	a	b	c	d	e
v	x	z	u	t	s	l	i	h	g	f
h	i	l	m	a	b	c	d	e	f	g
n	o	p	q	r	s	t	u	v	x	z

Quaeque littera cuiusque vocabuli ex alia linea sumitur: Pro *f* sumitur *s* primae lineae, pro *e* sumitur *r* secundae lineae, pro *s* sumitur *b* tertiae lineae etc.

Quia singulae litterae paene semper aliam habent significationem, facile intelligitur explicationem harum litterarum fieri²² non posse.

Aliam quoque propono vobis notarum secretiorum rationem,²³ quae nihilo magis²⁴ dissolvi potest, quam illa altera.

	a	e	i	o	u
b		a	b	c	d
c	e		f	g	h
d	i	l		m	n
f	o	p	q		r
g	s	t	u	v	
l	x				z

Illud vocabulum *festina* sic exprimitur: *f=ic, e=ac, s=ag, t=eg, i=ad, n=ud, a=eb*; ergo: *icacagegadudeb*. Litterarum commutationem ad infinitum persequi possumus, quare scripta furtiva eo difficilius dissolvi queunt.

Dr. B. Nagy.

1 titkos írás 2 történetíró 3 valahányszor 4 titkos írással 5 azután 6 rendben 7 közönséges 8 bizonyos rendbe szedve 9 igazi 10 megelőző 11 következő 12 keres 13 csupán 14 valószínű 15 leggyakrabban előforduló 16 kinlódik 17 következtetés 18 ügyes 19 megfejt 20 használ 21 egyik a másik felett 22 nem lehet megfejteni 23 mód 24 ép oly kevésbé.



Inter pictores, qui Berolini artificia sua propalam collocabant, Iulius Benczur et Paulus Szinyei-Merse nummo¹ aureo honorati sunt. Haec laudis insignia, viris illustrissimis tributa, in capite ac sede² Germanorum una voce approbantur, apud nos



Benczur: Senatus Hungariae salutatur Franciscum Iosephum.

usque quaque³ summum excitant gaudium.

Quibus iudiciis, in re ipsa positus,⁴ ingenium iustitiaeque criticorum⁵ clarissima circumfunditur luce, quia maximo decore cives populi haud ita magni ornabantur.

Benczur megalographiam,⁶ quam Graeci dicunt, exercet; amoenitatibus regionum⁷ pingendis excelsit Szinyei-Merse.

Fures in schola. Alfredus Hartmann et Vendelinus Gátó, discipuli scholae realium⁸ Budapestinensis, propter furta⁹ commissa scholā eiecti, mox in custodiam dati sunt. Discipuli perditii effregerunt bibliothecam scholae, unde multos libros furati sunt, quos vendiderunt; mox furtim in scholam irrepserunt,¹⁰ ubi vestimenta instrumentaque doctrinae¹¹ subdlexerunt.¹² Pueri nequissimi parentibus relictis in viae ferratae curribus se occultabant, ubi a publicis¹³ comprehensi sunt.

Comes Zeppelin unus omnium Germanorum gloriā maxime floret. Sed praeter coronam lauream¹⁴ habet alteram quoque, quae est spinea,¹⁵ quia secundos eius proventus¹⁶ semper fere res adversae comitan-

tur. Novissimum navigium aërobaticum,¹⁷ Zeppelin VI, quod vix nonnullas hebdomades aërem carpebat,¹⁸ totum deletum est. Hanc machinam ingentem consortium¹⁹ quoddam emit, ut homines voluptatis causa²⁰ vectaret. Navigium in universum²¹ 18 itinera fecit per 3100 chiliometra cum tribus milibus vectorem.²² Singulis horis 37 chiliometra pervolvavit. Societates,²³ periculum facientes quadringenta octoginta milia marcarum²⁴ praestant;²⁵ sed navigium pluris constat,²⁶ sexcentis milibus marcarum.

Cholera morbus in partibus regni, ad Danuvium sitis ortus est et nunc iam alias quoque regiones corripuit.²⁷ In comitatu²⁸ Baranya, ubi imperator Germaniae nunc ipsum venabatur, rerum status tam iniquus²⁹ est, ut quotidie fere inveniantur, qui in morbum incidant. Aqua Danuvii bacillis nocentibus infecta esse videtur, quia aegrotorum maxima pars vicina Danuvii incolunt eiusque aquam biberunt. Magistratus nostri summis viribus summaque diligentia morbo opprimendo operam dant.

Yellowstone. Hoc nomine describuntur Civitatum Unitarum horti,³⁰ qui tam late patent,³¹ quam tres-quattuor comitatus Hun-



Aquae salientes in hortis Yellowstoneianis.

gariae, vel duplo latius, quam terra Montis Nigri. E quibus hortis octoginta milia hecta-

1 érem 2 székhely 3 mindenféle 4 in re ipsa positus = tárgyvilagos 5 bíráló 6 történeti festés 7 tájképfestés 8 réaliskola 9 lopás 10 belopózik 11 iskolaszer 12 ellop 13 rendőrség 14 babér 15 tövis 16 siker 17 léghajó 18 a levegőt járja 19 társaság 20 kényutazásra 21 mindössze 22 utas 23 biztósítótársaság 24 márka, körülbelül 1 korona 20 fillér 25 megtérít 26 *többe kerül 27 hatalmába kerít 28 vármegye 29 kedvezőtlen helyzet 30 park 31 nagy-kiterjedésű.

rium area³³ deusta³⁴ est. E saxis Yellowstoneianis circa sex milia fontium profluunt, compluribus locis 40° calidi salientes. Terra, fontibus calidis calefacta³⁵ mirae pulchritudinis sata et arbusta³⁶ profert, atque etiam buffelorum³⁷ greges rarissimi hic nutriuntur. Incendium ab equitibus, forte his locis excentibus oppressum est.

Conventus³⁸ eorum, qui linguā Esperanticā loquuntur, in Americae urbe Washington habitus est, qua occasione etiam fabulā Shakespearii, quae inscribitur «As you like it»,³⁹ linguā Esperanticā hoc nomine «Kiel plokar al vie» in scena agebatur.⁴⁰ Aderant e terris externis circa trecenti sodales,⁴¹ Americani circa mille, quo numero omnes fere Americani linguā Esperanticā loquentes continentur.

Pr. Non. Oct.⁴² Dies est, qua ante annum unum et sexaginta duces illi XIII Hungarici in munitionibus⁴³ Aradiensibus a tyrannide necati sunt. Cum subit⁴⁴ diei Aradiensis imago, ex infimo pectore preces surgunt pro vindicibus⁴⁵ libertatis nostrae, et dolore suppresso meminimus illorum, qui nobilissimos belli duces latronum modo carnificis⁴⁶ manu perire iuebant. At patria nostra sustentata est et sustentatur; nos autem conscii sumus pugnam illam iustam fuisse.

Vecturae citiores collisae.⁴⁷ Horrenda calamitas facta est in statione viae ferratae Rottenmanniana, in Styria. Vecturae Vindobonensi,⁴⁸ quae in statione morabatur,⁴⁹ summa velocitate allisa est⁵⁰ vectura Tergestina.⁵¹ Utraeque vecturae concisae⁵² sunt, novem homines necati, graviter vulnerati duodetriginta.

³³ terület ³⁴ leég ³⁵ melegít ³⁶ növényvilág ³⁷ bölény ³⁸ kongresszus ³⁹ Ahogy tetszik (Vízkereszt) ⁴⁰ előad ⁴¹ társ ⁴² pridie Nonas Octobres — október 6. ⁴³ sánc ⁴⁴ eszébe jut ⁴⁵ védő ⁴⁶ hóhér ⁴⁷ összeköztött gyorsvonatok ⁴⁸ bécsi ⁴⁹ tartózkodik ⁵⁰ nekirohan ⁵¹ triesti ⁵² összetörök.

Robinson. XI.

Latine scripsit Stephanus Probus Dr. Solnensis.

Munit habitaculum: silvam densam conserit, cuniculum¹ ducit. Fumum haud procul e terrā surgentem conspicit. Spectat de monte epulas anthropagorum.² Amicum nanciscitur.³

Proximo die Robinson tranquilliore animo perpendens⁴ omnia, timorem suum hesternum deposit.

Quo⁵ tamen tutior a repentino⁶ impetu esset, densissimam⁷ silvam circa habitaculum suum conserere⁸ statuit, ne spelunca⁹ a praetervagantibus¹⁰ conspici posset. Hac mente duo circiter milia arborum, quas cito crescere intellexerat, sevit.⁸ Quo opere peracto aliud aggressus est, multo difficilium. Cuniculum¹ enim subterraneum ab intimā¹¹ speluncā ad latus montis adversum ducere coepit, ut, si necessitas tulisset, haberet, quo effugeret.

Quodam mane labori intentus fumum¹² e terra surgentem conspexit. Subito pavore perterritus, celerrime in speluncam fugit armatusque montem conscendit, ut causam fumi exploraret.¹³ Monte superato maiore adhuc cum timore quinque scaphas¹⁴ comperit circaque focum ardentem ad¹⁵ triginta viros saltantes atque inconditos¹⁶ clamores tollentes.

Metus in horrorem vertitur, cum videt duos captivos e lintribus¹⁴ ad focum trahi et verberari¹⁷ atque alterum eorum ad instruendas¹⁸ epulas¹⁹ foedissimas mactari.²⁰ Quantopere miseret Robinsonem alterius quoque captivi, qui ad eadem fata vocatus²¹ adstabat immotus, demisso capite! At cunctis carnificibus²² ad dissecandum²³ socium intentis, alter captivus repente in fugam se coniecit rectāque viā ad partes insulae, quas Robinson incolebat, cursum dirigit.

Instant²⁴ persecutores.²⁵ At ubi ad sinum ventum est, duo se in fluctus iniecerunt, ceteri ad epulas reversi sunt. Tum Robinson maximo gaudio comperit fugitivum²⁶ et cursu, et natando potiorem²⁷ esse persecutoribus.

Quae cum ita essent, ad haec duo paratus, Robinson momento temporis ad advolantes hostes conversus, alterum uno hastae ictu²⁸ confodit,²⁹ alterum securi lapidea obruncavit,³⁰ ipse vero incolumis³¹



¹ alagút ² emberevő ³ nyer ⁴ fontolgat ⁵ = *ul eo* ⁶ hirtelen ⁷ sűrű ⁸ ültet ⁹ barlang ¹⁰ elhalad ¹¹ belseje ¹² füst ¹³ kifürkész ¹⁴ csónak ¹⁵ mintegy ¹⁶ éktelen ¹⁷ ütlegel ¹⁸ elkészít ¹⁹ lakoma ²⁰ levág ²¹ rendelve ²² hóhér ²³ szétdarabol ²⁴ nyomában van ²⁵ üldöző ²⁶ szökevény ²⁷ ügyes ²⁸ dőfés ²⁹ átszúr ³⁰ levág ³¹ sértetlen

mansit, cum sagittae,³² a hostibus missae de thorace pellino³³ decidissent.

Perfuga, cum iam hostes humi iacere videret, signis admonitus tandem accedere³⁴ ad servatorem ausus est, mox substitit et quasi gratias agens misericordiamque petens in eum vertit oculos, denique oboedientis canis instar³⁵ se humum proicit et pedem Robinsonis cervici imponit. Robinson, qui amicum malebat habere, quam servum, hominem supplicem³⁶ manu sublevavit³⁷ ac se sequi iussit.

Homo tamen, priusquam decederent loco, mortuos sepeliendos³⁸ esse cunctaque signa suspiciosa³⁹ tollenda⁴⁰ indicavit. Quibus rebus probatis⁴¹ Robinson coloratum⁴² amicum summo cum gaudio in arcem suam deduxit.

³² nyíl ³³ bőrvért ³⁴ hozzámegy ³⁵ módjára ³⁶ alázatos ³⁷ fölemel ³⁸ eltemet ³⁹ gyanus ⁴⁰ elhárít ⁴¹ helyesél ⁴² színes.



Quidam navigaturus¹ monitus est, ut cave-ret, ne naufragus a piscibus devoraretur. «Quid — inquit — metuam pisces, qui tot pisces devoravi?» *P. Bayer.*

Thales Milesius interrogatus, quantum distaret² a mendacio veritas, respondit: «Quantum oculi ab auribus». *C. Nagy.*

Philippus rex cum ad Lacedaemonios misisset interrogatum,³ amicumne⁴ se, an inimicum venire vellent, responderunt: «Neutrum.» *F. András.*

Lysander oraculum consuluit. Sacerdos ex tripode* interrogavit Lysandrum, quodnam⁵ in vita scelus grave commisisset.⁶ Tum Lysander: «Sponte⁷ an deorum iussu interrogas?» — «Deorum.» — «Igitur tu hinc abi; diis, si interrogaverint, respondebo.» *J. Bakó.*

Magister: Dic nobis animal quadrupes,⁸ Petre! **Petrus**: Animal quadrupes est mensa. **Magister**: Aselle, mensa non est animal. **Petrus**: Animal quadrupes est leo. **Magi-**

ster: Recte dixisti. Nunc velim dicas nobis animal sex pedibus!⁹ **Petrus**: Animal sex pedibus est musca.¹⁰ **Magister**: Optime. Nunc nominā aliud animal sex pedibus! **Petrus**: Aliud animal sex pedibus est... alia musca. *C. Tompa.*


Cromwellius, qui Carolo II. securi percusso¹¹ rerum Britanniae potitus erat, ingenti multitudine hominum comitante¹² Londinium intravit. Adulatorum¹³ uni de hac re¹⁴ gratulanti, Cromwellius respondit: «Si ad supplicium¹⁵ ducerer, non minor hominum frequentia foret». *L. Teleky.*

Quidam fortis miles erat, cuius operā¹⁶ rex Mathias in militia saepe usus est. Ille audivit bellum ortum esse inter Mathiam et Fridericum¹⁷ imperatorem, cui iureiurando¹⁸ promiserat se tempore belli, ubicunque foret, ad illum rediturum. Petivit igitur a rege Mathia, ut bonā veniā¹⁹ ad imperatorem redire liceret. «Scio — inquit — non est iustum tempore belli me discedere a te, qui me in pace aluisti. Sed causa discessus est mea fides, quam iureiurando imperatori Friderico firmavi, eamque nullo pacto²⁰ violare velim.»

Hoc sermone motus, rex militem egregiis donis cumulatum²¹ dimisit ad imperatorem, eiusque propositum²² coram omnibus laudavit, quoniam iusiurandum commodis propriis et amicitiae regiae anteposuerit. *F. Vértesy.*

Nauta quidam e portu navigaturus ab amico his verbis retentus²³ est: «Quo vadis,²⁴ audax, cum scias patrem et avum²⁵ in mari periisse?» — «Age,²⁶ num tui²⁷ — inquit nauta — ubi sunt mortui?» — «In lecto» — respondit alter. — «In lecto? et tu tamen in lecto pernoctare²⁸ audes?» *L. Heigli.*

¹ tengerre készülve ² távol van ³ kérdezni (supinum) ⁴ hogy mint barát... * háromlábú (jóslószék) ⁵ milyen ⁶ elkövet ⁷ magad nevében ⁸ négylábú ⁹ hatlábú ¹⁰ a légy ¹¹ kivégez ¹² kíséretében ¹³ hizelgő ¹⁴ ezért ¹⁵ kivégzésre ¹⁶ segítség ¹⁷ Frigyes ¹⁸ esküvel ¹⁹ kegyes engedelmevel ²⁰ semmiképen ²¹ elhalmoz ²² szándék ²³ visszatart ²⁴ megy ²⁵ nagyapa ²⁶ hát ²⁷ teid ²⁸ éjjelez, hál.



I.

Alterum tantum virorum adest, quam puerorum; triplo autem plus feminarum, quam virorum. Universi sunt 63. Quot sunt pueri, viri, feminae? *I. Gibás.*

II.

Frugis si primam, suis et arae si demis mediam, habes, quod sum. Si me repetis, panem ex me facis. *B. Alexics.*

III.

Societas quaedam pro coena coronas 17·50 solvere debet. Sodales duo nihil solverunt, itaque ceteri singulis coronis plus solvunt, quam aliter debeant. Quot sodales erant? *Eug. Maros.*

IV.

Quomodo huius versiculi syllabae hexametro enumerantur:

BARBARA, MEUM: MIRABLE.

F. Dalnoki.

V.

Dux quidam trecentis militibus urbem quadratam obsidet. Quomodo disponuntur milites, ut in singulis lateribus centeni sint? *Fr. Unkelhüsser.*

VI.

Si totidem essent nummi, quot habeo, superaddito dimidio rursumque dimidii dimidio et adhuc uno, centum nummos haberem. Quot habeo? *P. Léh.*

VII.



Haec 32 quadrata ita dividantur, ut unum quadratum efficiatur!

P. Willner.

VIII.

Vide, quid sim: Fui, quod estis, eritis, quod sum.

IX.

I. Rotarides.



X.

Dominus quidam servo suo duodenas coronas pro labore singulorum dierum promisit, mulctam¹ autem octonarum coronarum pro otio² singulorum dierum. Anno finito neuter alteri quidquam debet. Quot diebus laboravit servus, quot diebus otia³ est?


M. Kállay.

¹ büntetés ² semmittevés ³ szünetel, henyé.

Solutiones aenigmatum numeri 1.

1. Ventus. 2. Capilli. 3. Foramen. 4. Alter 30, alter 27 chiliometra. 5. Post 21 annos. 6. Aquila non captat muscas.

Aenigmata 10. numeri I. anni et 1. numeri secundi anni recte dissolverunt: R. Abodics (Putas tu a tabelariis Budapestinum non inveniri, nisi tu eos edoceas urbem Hungariae esse?), P. Aczél, F. Baczó, St. Balassa, P. Bánszky, E. Dudits, St. Elischer, I. Gibás, Fr. Gyárfás, C. Gyöngyösy, C. Halász, B. Hennig, D. Herczegh, I. Jánosy, Eug. Klein, I. Koller, R. Kosch, C. Körmendy, P. Lázár, F. Langmayer, I. Lipsey, T. Mandics, Eug. Maros, P. Martiny, H. Mártonffy, L. Mészáros, N. Molnár, L. Nagy, M. Névery, A. Oberth, B. Pállay, S. Rohrer, I. Szúnyog, P. Trandafir, Lola Veörös, B. Virágh, F. Weiss, I. Ziegler, N. Zitka, A. Kalmár, A. Lukács, Georgina Wolf. — Praemium Paulo Trandafir et B. Virágh sorte obtigit, qui libros ab administratore horis postmeridianis (3—6) asportare possunt.



I. Vörös de Tőrey. Epistolam misi. — A. M. Keszthely. Recte. Sed illud Salse Dictum notissimum est. — I. Gibás. Maxime probo laudoque diligentiam tuam. Occasione oblata edetur. — L. Fóris. Impatiens es. Exspecta paulisper! — G. R. Omnibus viribus elaborandum est, ut tu quoque recte scribas. Si hoc assecutus eris, nemini invidebis. — De reliquis litteris alia occasione nuntios mittam.

Sumptibus moderatorum ephemeridis: Magyar Középiskola.